Stanislaus Augustus Dei Gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Lithvaniæ Russiæ Prussiæ Masoviæ Samogitiæ Kijoviæ Volhyniæ Podoliæ Podlachiæ Livoniæ Smolensciæ Severiæ Czerniechoviæque.

Significamus præsentibus Literis Nostris, quorum interest universis et Singulis. Cum per Constitutionem in Comitiis sub generali Confœderatione 1793 Anno Grodnæ celebratis in Palatinatu novo Vlodimiriensi novam Terram Dubieniecensem constituerimus per quam creatio novorum Terræ præfatæ Officialium ad dispositionem Nostram sit devoluta. Quare insistendo eidem Legi habitoque respectu meritorum Generosi Thomæ Kucharski faciendum esse duximus ut ipsi Munus Horodnitii ejusdem Terræ Dubieniecensis daremus et conferremus, proutquidem cum omnibus juribus prærogativis Muniis immunitatibus de lege et antiqua praxi ad hocce Munus pertinentibus ad extrema vitæ Suæ tempora, vel altioris alicujus Officii assecutionem tenendum habendum et obeundum damus et conferimus præsentibus Literis Nostris. Quod Omnibus quorum interest præsertim verò Magnificis Senatoribus, Generosis Dignitariis Officialibus, Universæque Nobilitati Palatinatus Vlodimiriensis et signanter Terræ Dubieniecensis notum esse volentes mandamus, ut præfatum Generosum Thomam Kucharski abhinc pro vero legitimo et actuali Horodnitio Dubieniecensi habeant nominent et agnoscant, eique de loco juribus prærogativis hocce Munus concernentibus et ipsi respondeant et ab aliis responderi curent. Pro Gratia Nostra. In quorum fidem præsentes Manu Nostra subscriptas, Sigillo Regni communiri jussimus. Datum Varsaviæ die Mensis. Anno Domini MDCCXCIV. Regni verò Nostri XXX Anno.

Stanislaus Augustus Rex

Munus Horodnitii Terræ Dubieniecensis in Palatinatu Vlodimiriensi, Generoso Thomæ Kucharski confertur.

561